

3. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, 15 luglio 2016, Prot. n. 50763/15 CA, Decreto di sospensione, Rev. R - Congregazione per il Clero, *di riconoscimento della proibizione di esercizio del ministero sacerdotale*. Cf. anche prot. 47888/13 CA.

Exc.mus Archiepiscopus H die 1 iulii 2014 statuit Rev.dum R intra diem 31 iulii 2014 «the clergy support associate» occurrere debere atque sese subicere «the monitoring process that would be proposed» atque Congregatio pro Clericis decretis dierum 28 februarii et 4 maii 2015 recursum hierarchicum in re reiecit.

Interea idem Exc.mus Archiepiscopus die 9 aprilis 2015 statum Rev.di R ob inoboedientiam praefato praecepto immutare recusavit, qua de re idem Rev.dus R ad Congregationem pro Clericis die 30 maii 2015 altero recursu hierarchico provocavit.

Adversus reiectionem prioris recursus hierarchici Rev.dus R die 18 iulii 2015 ad H. S. T. recurrit, petens insimul pertractationis procrastinationem adeo ut, si et quatenus, decisiones utriusque recursus hierarchici examini una subicerentur.

Altero recursu hierarchico a Congregatio pro Clericis diebus 30 novembris 2015 et 15 ianuarii 2016 negative dimisso, Rev.dus R die 5 aprilis 2016 ad H. S. T. recurrit.

Interea idem Exc.mus Archiepiscopus, decreto die 28 octobris lato, investigationem praeviam de qua in can. 1717 iussit quoad delictum de quo in can. 1371, n. 2 relate ad Rev.di R inoboedientiam erga praeceptum die 1 iulii 2014 datum.

Rev.mus Promotor Iustitiae, invocato praescripto artt. 95, § 2 et 100 *Legis propriae* qua H. S. T. regitur, suspensionem proposuit saltem decreti Exc.mi Archiepiscopi H quo die 28 octobris

2015 investigationem praeviam instituit adversus Rev.dum R.

Auditis Exc.mo Archiepiscopo atque Congregatione pro Clericis,

*Supremum Signaturae
Apostolicae Tribunal*

Re sedulo examini subiecta;

Pro comperto habito quod delictum de quo respicit inoboedientiam praecepto coram H.S.T. impugnato, de cuius scilicet legitimitate in procedendo et in discernendo huic Signaturae Apostolicae videre competit;

Attento quod investigatione peracta atque inde processu poenali forte instituto damna quae reparari nequeunt Rev.do Recurrenti obvenire possunt;

Perspecto quod Exc.mus Archiepiscopus, certior de re factus, litteris die 29 iunii 2016 ad H. S. T. datis, investigationis suspensionem decrevit usque ad huius recursus contentiosi administrativi definitionem;

Audito Promotore Iustitiae,

declarat:

propositae petitioni satisfacere suspensionem ab Exc.mo Archiepiscopo H decretam quoad investigationem praeviam adversus Rev.dum R die 28 octobris 2015 institutam.

Et notificetur.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 iulii 2016.

✠ FRANCISCUS DANEELS, O.praem.
Secretarius